

SYLLOGE  
MONUMENTORUM,

AD

ILLUSTRANDAM  
HISTORIAM FENNICAM  
PERTINENTIUM.

CUJUS PARTEM III,

CONS. FAC. PHILOS. IN REG. ACAD. ABOENSI,

PRÆSIDE

Mag. HENRICO GABRIELE  
PORTHAN,

*Eloqv. Professore Reg. & Ord. Eqv. Ord. R. de Stella Polari,  
R. Acad. Litt. Human. Hist. & Antiquit. R. Societ. Sc.  
Upsal. &c. Socio,*

Publicæ honorum censuræ submittit

CAROLUS JOHANNES HOLM,

*Nylandus,*

*In Aud. Majori die XV Decembr. MDCCCII.*

H. A. M. C.

---

ABOÆ, typis Frenckellianis,

## THESES RESPONDENTIS.

### *Thes. I.*

**N**ec genus humanum, nec singulos homines a legibus consilio Creatoris sibi præscriptis, sine magna suæ salutis jactura aberrare, testatur tam Historia, quam domestica & quotidiana uniuscujusque experientia.

### *Thes. II.*

Institutum est hominum naturæ, ut desideriiis maxime necessariis expletis, commoditates & ornatum sectentur; unde luxuria crescentes opes proxime subsequi solet.

### *Thes. III.*

Frustra sunt, qui fundamentum potestatis patriæ in pacto quodam quaerendum esse putant.

### *Thes. IV.*

Vix ulla major in doctrinam morum inferri pestis potuit, quam quæ ex Monachismi contagione orta, diu eam afflixit.

### *Thes. V.*

Sententiam Epicureorum, qua, neglecta omni cura publicæ salutis, suam tantum privatam cuique promovendam commendabant, neque vel veritati fuisse conformem, vel ex eorum ratione necessario sequi, contendimus.

### *Thes. VI.*

Magni momenti est in consiliis hominum expendendis & investigandis, accurata Lockii observatio: mortales & bonum præsens minus, majori absentis solere præferre, & mali metu longe efficacius quam boni spe impelli.

### *Thes. VII.*

Bene Juvenalis: omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanti major qui peccat habetur.

### *Thes. VIII.*

Cognitionis lux cum felicitate humana nexu continetur naturali. Si igitur certis locis atque temporibus error aliquis esse utilis potest, id ex alio quodam errore provenit, cum quo arte cohæret, quique auctoritatis vi punitus dominatur.

XI.

*Idem confirmat donationem terræ ab Episcopo Finlandensi Capellano suo factam (a).*

E

Grego-

cujus rei nec ulla in monumentis nostris exstant vestigia. Magis eis artidebat, suæ dominationis extendendæ, quam Religionis contra barbarorum insultus protegendæ consilium. Merito autem gratulanda est Fennis nostris hæc sua fortuna, quæ ab avidorum horum latronum superbia eos immunes servavit, & libertate civili juribusque humanis frui sibi posterisque suis permisit. Cæterum & hoc exemplum prodere videtur, Magistratum in Suecicia civilem parum curæ de rebus novæ colonix in Fenniam deductæ fovisse, omnemque ejus defendendæ & firmandæ operam Ecclesiasticis deberi viris (cfr. supra p. 26 Not. (c)). Nempe turbæ rep. hoc tempore vexantes, & infelices de regno dimicationes, omne hominum studium occupabant.

(a) Duplex harum literarum (quas in *Append. ad Hist. Eccles. Spogelianam* typis expressas legere licet p. 158 sq.) in Registro Ecclesiæ Aboënsis exemplum occurrere (Fol. 102 & 103), in *Annot. ad Chronicon Juusteniænum* (p. 182 not.) jam monuimus, utrumque vidisse Thomæ Episcopi Wexionensis præferens, (prius tamen alias ei adnexas literas simul complexum) quod hujusmodi est (Fol. 102): "Omnibus præsens scriptum cernentibus *Thomas* misericordione divina Episcopus Wexionensis salutem in Domino sempiternam. Noverint universi, nos literam felicis recordacionis Domini *Gregorii* Papæ IX, nec non quandam literam bonæ memoriæ Dni *Magni* condam Epi-

"scopi Aboënsis, vidisse non raras, non abollitas, non  
 "cancellatas, nec in aliqua sui parte viciatas, tenores  
 "qui sequuntur de verbo ad verbum continentes: "*Grego-*  
 "*rius* Episcopus &c. (ut in textu expressas damus). Uni-  
 "versis præsentibus litteras visuris vel audituris *Magnus*  
 "Dei gracia Episcopus Aboënsis s. in D. s. Noveritis nos  
 "litteras felicis recordacionis *Thomæ* quondam Aboënsis  
 "Episcopi vidisse, sub hac forma: "*Thomas* Dei gracia  
 "Finnorum Episcopus, univcrsis tam Clericis quam Lay-  
 "cis præsentibus & futuris salutem præsentem (*perennem*  
 "male legit *BENZELIUS* in *Append. ad Hist. Eccles. Spe-*  
 "*gel.*) pariter & æternam. Universitati vestræ notum fac-  
 "cimus, nos quandam terram in Parrochia de Masku,  
 "cultibus ydolatriæ olim deditam, (an *dicatam* vel *dedi-*  
 "*catam?*) & medietatem cujusdam insulæ quæ *Taypale*  
 "dicitur, Cappellano nostro *Wilhelmo* jure perpetuo con-  
 "tulisse possidendam. Nos autem hanc donacionem ratam  
 "volentes in posterum observari, præsentis scripto & sigil-  
 "lo nostro appposito confirmamus, sub excommunicatio-  
 "nis sententia inhibentes, ne quis omnino tam commen-  
 "dabile factum infringere præsumat aut attemptet. Si quæ  
 "vero ecclesiastica seu secularis persona hanc donacionem  
 "præsumperit infirmare, ipsum extunc excommunica-  
 "tum denunciamus. Datum apud Nos anno Domini  
 "MCCXXXIV. Et quia heres prædicti Cappellani super  
 "confirmacione donacionis prædictæ nobis institit, rogans,  
 "quatenus nos eandem donacionem dignaremur confirma-  
 "re, nos inspecta donacione præfata prædecessorum no-  
 "strorum nec non confirmacione eorundem, ipsam cum  
 "ratione confirmacionis sæpeditæ, cum eciam propter  
 "meritum *Wilhelmi* heredis *Capellani* supradicti, cum i-  
 "pse temporibus Domini *Johannis* bonæ memoriæ præde-  
 "cessoris nostri, quandam mansionem quæ *Saris* vocatur,

**G**regorius Episcopus &c. dilecto filio N. (b) Presbitero, Rectori Ecclesie Sanctae Mariae de Nousia Finnenfis Dyocesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor aequitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulacionibus grato concur-

E 2

cur-

---

"ecclesie nostrae Aboensi contulerit, saepedictam donacionem praedecessoris nostri, auctoritate qua fungimur confirmamus. Datum in *Custu* anno Domini MCCXLV, die Lunae proxima ante festum sancti Martini. In horum evidenciam amplio rem sigillum nostrum cum sigillo Capituli nostri praesentibus litteris est appensum." In cuius visionis testimonium secretum nostrum praesentibus duobus apponendum. Scriptum apud Ecclesiam Nummis Aboensis Dyocesis, anno Domini MCCCCLI in crastino sancti Vincentii Martiris." Alterum exemplum non nisi literas Pontificis exhibet, quarum etiam fidem Thomas Wexionensis, modo supra significato, suo munit testimonio; qui idem exemplo quoque alii literarum Thomae Episcopi Aboensis, nuper allatarum, seorsim auctoritatem testimonio simili tribuit, dato anno locoque eodem, *die beati Vincentii Martiris*: in quo tamen exemplo, manifesto sphalmate, *Thomas* vocatur *Finnensis Aboensis*, Episcopi nomine excluso, & verba *medietatem cujusdam insulae quae Taipale dicitur*, ex simili, ut putamus, exscriptoris negligentia, desiderantur, locus autem datarum *Nousia* scribitur.

(b) In altero exemplo legitur W. (Wilhelmo).

currentes assensu, terram de Masku quæ dicitur Lunda, quam venerabilis frater (c) Episcopus Finnensis, Capituli sui accedente consensu (d), Ecclesiæ tuæ (e) pia & provida liberalitate concessit, prout in litteris exinde confectis dicitur plenius contineri (f), sicut eam juste possides & quiete, tibi & per te (g) ipsi Ecclesiæ (h), auctoritate Apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocínio communitus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignacionem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pau-

---

(c) Alterum exemplum habet *frater noster N.*

(d) Hæc verba, solita ex formula addita esse, credas; cum vix aliquod adhuc Thomæ Episcopo affuisse Capitulum, verisimile sit?

(e) Quas itaque litteras Pontificem oculis ipsum non usurpassè credas?

(f) Alterum exemplum *pro te*, male.

(g) In ecclesiæ igitur suæ usum, non in privatam possessionem *Wilbelmo* istam terram fuisse a Pontifice concessam, apparet? Aliter tamen & Thomam & successores suos mentem ejus interpretatos esse, reperimus? Cfr. *Annot. ad Chron. Juust.* p. 183. — Cæterum ibidem jam observavimus, anni notam (1234) in litteris Thomæ Episcopi Finlandiæ, sine dubio esse corruptam, cum eæ litteris Papæ a. 1232 datis confirmentur, quibus itaque superiores esse debebant.

& Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.  
Datum Anagninæ XIII Kal. Novembris, Pontificatus  
nostri anno sexto (D. 20 Octob. a. 1232).

Habetur in Registro Ecclesiæ Aboënsis (sæpe  
jam laudato) Fol. 102 & Fol. 103. Cfr. A CEESE l. c.  
p. 66 N. 21, & *Annot. ad Chron. Juust.* p. 142.

XII.

*Idem hortatur ut Tavasti armis ad Christianam  
fidem profitendam cogantur (a).*

Gregorius Episcopus &c. Upsalensi Archiepiscopo  
& Suffraganeis &c. Plantavit vineam dextera  
Domini, eamque sanguine filii sui voluit irrigari, ut  
ex fluente de Christi latere rivulo fœcundata vi-  
num produceret, cujus refectus dulcedine plantator  
altissimus exultaret. Sed proh dolor! ecce ab apro  
de sylva exterminium patitur: ecce singularis ferus  
eandem suis partibus demolitur. Nam sicut trans-  
missæ ad nos vestræ litteræ continebant, illorum, qui  
*Tavasti* dicuntur (b), natio, quæ olim multo labore &  
E 3 studio

(a) Mirum est, hanc Bullam in Registro Eccles. Aboënsis  
non haberi.

(b) Hic locus est, quantum nobis quidem constat, antiquis-  
simus, quo hoc hujus nomen gentis (ipsi quidem igno-

*studio vestro & prædecessorum vestrorum ad fidem catholicam conversa extitit (c), nunc, procurantibus inimicis crucis prope positis (d), ad antiqui erroris reversa perfidiam, cum quibusdam barbaris (e) novellam ecclesiæ Dei plantationem de Tavastia funditus, diabolo coadjuvante, subvertunt; parvulos, quibus in baptismo Christi lumen illuxit, violenter de hac luce subtractos interimunt; quosdam adultos, extractis ab eis primo*

*vifce-*

tum, (cujus æque parum vel originem vel propriam significationem expiscari licuit) occurrit. Fennis ipsis Tavastia *Håme* vel *Håmenmaa*, Tavastus *Håmeläinen* dicitur.

(c) Mox post deductam per R. Ericum sanctum in Finlandiam Svecorum coloniam, obtrusamque Fennis maritimis vi & ferro religionem Christianam, aliquos credas novæ fidei propagatores, vehementiori studio actos, in Tavastiam usque penetrasse (ad quam ditio quoque Björneburgensis superior olim pertinuit) ibique ei adstipulatores comparasse? Tavastorum nomine illi quoque Fenni sine dubio comprehendebantur, qui maritimam olim oram incolentes atque ad fidem Christianam profitendam a Svecis advenientibus compulsi, postea pristinis relictis sedibus in superiores Finlandiæ regiones concedentes, ad veterem superstitionem redierant, in eos inprimis populares suos odium exercentes quos novæ favere religioni & dominationi, videbant?

(d) *Careliis* sine dubio, forte etiam *Ruffis*?

(e) Superioris Fenniæ incolis, adscita, ut videtur, reliquarum nationum Paganarum, sicuti Fennico vicinarum, societate?



visceribus, dæmonibus immolant (f), & alios usque ad amissionem spiritus arborem circumire compellunt (g); sacerdotes vero quosdam exoculant, & quibusdam eorum manibus & cæteris membris crudeliter mutilatis, reliquos in combustionem & cibum ignis paleis involutos exponunt; sicque ipsorum paganorum sævitiis regnum Sveciorum opprimitur, quod de facili extremam fidei desolationem incurret, nisi sibi Dei & Apostolicæ sedis auxilio succurratur. Verum cum tanto libentius contra hujusmodi apostatas & barbaros impugnandos sit a viris Deum timentibus insurgendum, quanto majoribus Ecclesiam Dei damnis affligere cupiunt, qui fidem catholicam tam detestabili crudelitate confundunt: mandamus, quatenus viros catholicos, in regno prædicto & vicinis insulis positos, ut contra eosdem apostatas & bar-

(f) Nulla cæterum nobis obvenerunt vestigia, ex quibus colligere liceat, Fenno veteres vel hostias humanas vel ullas alias victimas diis suis immolasse. Verisimile igitur est, nonnisi Svecorum interpretationi hanc accusationem deberi, qui dæmonibus (h. e. idolis) eos omnes fuisse immolatos putabant, quos pagani, nonnisi ulciscendi cupidine & iræ acerbitate perciti, solenniter trucidabant.

(g) Inprimis circa arbores sacras (quales Fenno olim magna religione coluisse constat), quasque Christiani, summa paganorum offensione, cedere atque evertere solebant, ita circumactos fuisse, credas, ut proterviam suam sic expiant, & meritas, ut putabant, pœnas subirent?

barbaros crucis signaculum affumentes, ipsos viriliter & potenter expugnent, præceptis salutaribus inducatis. Nos enim attendentes quod Deo tanto gratior est defensio fidei, quanto cæteris virtutibus animæ fides debet pretiosior reputari, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, illam ob id asfumentibus signum Crucis concedimus veniam peccatorum, & ipsos ea volumus immunitate gaudere, quam habituri essent si in terram sanctam personaliter se transferrent. Datum Laterani V Idus Decembris anno XI. (d. 9 Dec. 1237).

Exstat apud VASTOVIVM *Vit. Aquil. App.* p. 176, & GRUBERUM in *Silva Documentorum ad Orig. Livoniae Sacrae & Civilis* p. 261 (quî sese ex RAYNALDI *Annal. Eccles. T. XIII* p. 447 exscripsisse significat). Cfr. A CELSE l. c. p. 67 N:o 26, & *Annot. ad Juusteni Chron.* p. 100.

---

### XIII.

*Papa Innocentius IV Thomæ Episcopo Finlandensi permittit, ut officio se abdicet.*

*Innocentius Episcopus &c. Archiepiscopo Upsalensi (Jarlero) & Priori Provinciali Ordinis Prædicatorum in Dacia (a). Thomas Episcopus Fillandiae (Fin-*

---

(a) *Thomam* ante Episcopale munus fuisse Monachum Do-

(Finlandiæ) nobis humiliter supplicavit, ut cum idem quendam fecerit mutilari, qui hujusmodi occasione mortem incurrit, ac quasdam litteras Apostolicas præsumpserit diabolico instinctu falsare (b), propter quod non potest licite Pastorale officium exercere, cessionem ejusdem recipere curaremus. Nos igitur ipsius salutem providere volentes, mandamus, quatenus cessionem eandem vice nostra recipere procureris. Datum Lugduni IX Kalendas Martii anno secundo (d. 21 Febr. a. 1245).

Comparet in Sylloge Bullarum Papalium qua  
F Gene-

---

minicanum constat; quæ res facile ostendit, cur Ordinis hujus in Dania Priori Provinciali, una cum Archiepiscopo Upsalensi, hoc negotium committeretur: uti & temporis ratio & omnes reliquæ circumstantiæ de nullo alio quam de *Finlandensi* Episcopo agi, extra dubium collocant.

(b) Hæc sufficienter produnt, hominem vehementem, nec honestissimi animi, Thomam hunc fuisse (quem tamen inter *Santos* Sveciæ refert VASTOVIVS); simulque longe aliam causam depositi ab eo muneris Episcopalis aperiant, quam quæ hætenus, auctoritate veterum nostrorum monumentorum, fuit venditata. Cfr. *Annot. ad Chron. Juust.* p. 185-188 & p. 379. Improbabile autem non est, difficultates & pericula plurima, quibuscum ipsi conflictandum fuerat, illa etiam non parum ad hoc consilium suum maturandum contulisse. Quas porro litteras Papales falsare ausus fuerit, hodie vel conicere non licet.

Generosiss. FREDENHEIM Bibliothecam Acad. Aboënsis ditavit. Vid. *Access. ad Recens. Bullar. Cels.* p. 35 sq. Cfr. *Annott. ad Chron. Juust.* p. 779.

---

XIV.

*Papa Gregorius X jubet verbum Crucis contra Carialos & alios vicinos Paganos fidei Catholicæ hostes prædicari, & fideles ad eos debellandos excitari (a).*

- - - - Electo Upsalensi (b). Mentem sine intermissione sollicitam super hiis quæ gerimus, per quæ salutem fidelium ac Dei gloriam procuremus, illorum

---

(a) Licet in exemplo ad nos delato neque Papæ neque Electi Upsaliensis nomen, neque anni nota ulla exprimantur; recte tamen ad Gregorium X & a. circiter 1274 referri, cum in *Annott. ad Chron. Juust.* p. 127 sq. tum in *Access. ad Bullar. Cels.* p. 55 docuimus.

(b) Quia post administrationem Regni a R. Valdemaro susceptam, hanc bullam prodixisse, vel mentio patris sui ommissa docet, ac probabile est illum initio circiter a. 1274 Romæ præsentem eandem eliciuisse, quo tempore aut sedes Upsaliensis, post mortem Laurentii adhuc vacavit, aut saltem novus Archiepiscopus *Fulco* nondum confirmatus consecratusque erat, nomen ejus hic adponi non potuit.

rum repressa tiranide, qui spreta catholicæ fidei puritate, idolorum cultura execrabili sunt dampnabiliter occupati, suos affectus perfidos & perversos ad hoc assidue dirigentes, ut Regis æterni familiam in finitimis eorum partibus constitutam delere valeant, vel continuis turbare molestiis, & gravissimis afficere nocementis. Sane litterarum carissimi in Christo filii nostri *Valdemari* (c) Sveciæ Regis illustris tenor amarissimus nostrum auditum tribuit (d) & animum, de gravissimis & duris insultibus quos ejusdem regni fideles ab inimicis Christi qui *Cariali* (e) vulgariter appellantur, & a paganis aliis circumjacentium partium (f) sæpe sæpius patiuntur. Verum

F 2

inter

(c) Hac una nota, ex Regis nempe nomine expresso, tempus Bullæ hujus datæ definiri potest, neque Papæ præferentis nomen, neque annum diemque ejus scriptæ.

(d) Legendum esse *tribulavit*, monuit Col. NORDIN; cfr. *Annott. ad Chron. Juusten.* p. 127 sqq.

(e) *Carelii*. Appellant ipsi terram suam *Karjala*, *Karjalanmaa*, ac sese *Karjalaiset*, (sing. *Karjalainen*), quæ appellationes reliquis quoque nationibus Fennicis, vicinis suis & cognatis, in usu sunt. Inde olim formarunt Sveci & Norvegi *Kyrialand* & *Kyrialer*. Habitavit autem hic populus inter Mare Album & Sinum Fennicum, hodiernam Careliam Svecicam (cum Savolaxia) & Ruslicam, nec non terram quæ lacus Ladogam & Onegam interjacet &c. occupans.

(f) Intellige *Ingros*, *Watlandos*, *Estlandos*,] quin etiam Russos Novogorodenses,

inter alia diversa discrimina quæ apud (g) dicto re-  
 gno intulit hujus generationis perfidia & crudelis (h),  
 hoc anno præcipue (i), quasdam partes ipsius re-  
 gni furiose ingrediens, multos de fidelibus ipsis in-  
 terfecit, immaniter plurimum effudit sanguinem, mul-  
 tasque villas & terras consumpsit incendio, propaha-  
 navit quoque sanctuaria & diversa pia (k) loca di-  
 vino cultui deputata, multis privilegiis (l) sacro fon-  
 te renatis secum abductis (m) miserabiliter, quos,  
 pro dolor, ritibus profanis instructos suæ servituti gra-

(g) Legi ante jubet Celi. NORDINI aut forte *nuper* substi-  
 tuas?

(h) Leg. *crudelitas*.

(i) De commemorabili hac paganorum irruptione, quæ  
 sine dubio Fenniam inprimis afflixit, altum est in veteri-  
 bus nostris monumentis (at quam mancis!) silentium. —  
 Apparet hinc, R. *Valdemarum* non adeo fuisse imperii sui  
 incuriosum, ut vulgo depingitur. Non est improbable,  
 paganos illos, Tavastorum a Duce *Birgera* nuper sub-  
 jugatorum vicinos, atque amicos, vim his illatam ultu-  
 ros, veteresque inimicitias persecuturos, hac clade ditio-  
 nem Svecicam, ac maxime provinciam nuper devictam, af-  
 fecisse.

(k) Ita margini apographi nostri recte adscriptum habetur,  
 pro vitioso *diversoria loca*.

(l) Leg. *multisque pueris*, sensu manifesto jubente.

(m) Ita scripsimus pro *adductis*.

gravissimæ dampnabiliter applicavit, pavendo (n), sicut dicitur in furore sui animi & vehementi(o) cordis ad ulteriora seu gravissima progredi, nisi generationis ejusdem stupenda sævicia per instantiam virtutis objectæ corruat, & per consequens sub conditoris omnium mirifica potentia contremiscat. Quare prædictus Rex & per speciales suos nuntios & litteras instanter postulari fecit a nobis, ut super hiis providere de oportuno consilio & festino subsidio curaremus. Cum itaque Apostolica sollicitudo deponat officii, sub tanta diversitate discriminum promptum & salubre remedium adhiberi; Nos Regis ejusdem precibus pio concurrentes affectu, discretioni tuæ per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus per te ac alios, Religiosos & seculares, in quorum labiis divini eloquii gratia sit diffusa, contra prædictam generationem perfidam in Regno ipso prædices verbum crucis, eamque volentibus illam assumere cum debita reverentia largiaris, concessio (p) illis de regno ipso qui in personis propriis & expensis, ac eis qui in personis propriis sed in alienis expensis, contra paganos proficiscerentur

F 3,

eos-

(n) Leg. *pavendo*, commode conjicit Cel. NORDIN.

(o) Leg. *vehementia*, eodem jubente.

(p) Esse hic vitium in textu, facile apparet, ex comparatione aliarum hujus generis Bullarum sanandum; sensus tamen obvius est.

eosdem, illis quoque qui in expensis propriis illuc mitterent idoneos bellatores, nec non eis qui ad hoc de bonis suis aliquid largirentur, juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum, illam suorum concedimus veniam peccatorum, quæ transeuntibus & subvenientibus in terræ sanctæ subsidium a sede Apostolica in generali Concilio est concessa (q).

Comparet in Sylloge Bullarum a Generosiss. FREDENHEIM Roma adductorum. Vid. *Access. ad Recens. Bullar. Cels.* p. 55 sq. Cfr. *Annott. ad Chron. Juusten.* p. 127 sqq.

XV.

*Papa Nicolaus IV permittit, ut Johannes Episcopus Aboënsis, si idoneus repertus fuerit, ad Archiepiscopatum Upsaliensem transferatur.*

*Nicolaus Episcopus &c. dilectis filiis - - Abbati Monasterii de Saba Cisterciensis, (a) Priori Prædicatorum de Sigtunia Upsalensis & Strengnensis Dioc.*

(q) Deesse clausulam, haud ægre cernas. Unde & loci & temporis significatio abest.

(a) Huic nomen fuisse *Laurentio*, ex literis annorum 1289 & 1292, in Bibliotheca Regia Stockholmensi asservatis, docuit Cel. NORDIN.



Diœc. ac - - - Guardiano Minorum Upsalensis fratrum Ordinum salutem &c. Militanti ecclesiæ disponente Domino licet immeriti præsidentes, circa curam omnium ecclesiarum sollicitia reddimur indefessa solliciti, ut juxta pastoralis officii debitum creditam nobis Dominici gregis custodiam utiliter gerere, divina cooperante clementia studeamus. Et licet ecclesiarum omnium sollicitudo nobis immineat generalis, circa illas tamen tenemur attentius per debitæ provisionis ministerium providere, quæ deplorare viduitatis incommoda dinoscuntur. Dudum siquidem Upsalensis ecclesia per obitum bonæ memoriæ *Magni Upsalensis Electi confirmati & etiam consecrati* vacante, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesiæ, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt & poterunt commode interesse, die ad eligendum præfixa, ut moris est convenientes in unum pro futuri substitutione Pastoris, & deliberantes per viam procedere compromissi, in dilectum filium Johannem Archidiaconum, Andream Præpositum & Olavum Canonicum ejusdem Upsalensis ecclesiæ compromittere curaverunt, promittentes quod illum in suum ac ipsius Ecclesiæ Upsalensis Archiepiscopum recipere & haberent, quem ipsi sese vel aliis in Archiepiscopum ejusdem ecclesiæ concorditer eligendum ducerent, vel etiam postulandum. Dicti vero compromissarii, hujusmodi compromisso recepto, secedentes in partem, & demum inter se diligenti deliberatione præhabita, venerabilem fratrem nostrum

*Johan-*

*Johannem* Episcopum Aboensem in Upsalensem Archiepiscopum unanimiter & concorditer postularunt. At idem Episcopus, postulationi hujusmodi de se factæ sibi que per specialem ejusdem Capituli Nuntium infra tempus legitimum præsentatæ nec consensit nec dissensit, sed super hoc dispositioni Sedis Apostolicæ se commisit. Ac postmodum præfati Capitulum per dilectos filios *Oarum* (b) & *Ervastum* ecclesiæ Upsalensis prædictæ Canonicos, ad nos propter hoc specialiter destinatos, decretum postulationis hujusmodi præsentarunt, humiliter supplicantes, ut postulationem eandem benigne admittere dignaremur. Nos autem decreto ipso recepto, examinationem decreti & processus postulationis ejusdem venerabili fratri nostro Episcopo Tusculanensi & dilectis filiis nostris Petro tituli S. Marci Presbitero, ac Petro S. Eustachii Diacono Cardinalibus, duximus committendum, quibus decretum & processum postulationis ejusdem examinantibus diligenter, nobisque ac fratribus nostris super hiis fideliter veritate relata, processus ejusmodi super eadem postulatione habitus canonicus est repertus. Nos igitur cupientes prædictæ Upsalensi ecclesiæ, quæ prudentis gubernationis regimine indiget, de persona ydonea salubriter provideri, quia nobis de ydoneitate personæ postulati prædicti

---

(b) In altero exemplo legitur *Carum*, corrupte, ut probabile putat Cel. NORDIN, pro *Carolo* (Erlandi filio).